Sieprski Lucae: Quaestio de actione et passione.

QVÆSTIO
DE
ACTIONE
&
PASSIONE,

A

M. LVCA SIEPRSKI
Collega Minore, in Alma Academia
Crac: publicè ad disputandum.

PROPOSITA,

Anno Domini M. DC. XXXVIII. Men. Oct: Die
Hora XII. in Lect: DD. Theologorum.

Permissu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
Jn Officina Typographica Stanislai Bertutouic.

In Insigne Monasterij Tinecen.



QVid gladius geminas circumfert pegmate claues?
Præsidium Diuûm denotat eximium.
Clauiger æthereus cœlestia Patribus offert
Regna, Vigil Paulus monstra sed ense fugat.
O fortunatam tantis nimiumq; beatam
Principibus, meritis, Relligione, Domum.

Christoph: Sarbiewski
Phil; & Eloqũæ Stud.

Religiosiß: & Vigilantiß: Patri

CONVENTVS TINECEN: PRIORI.

Cæterisq; omnibus Religiosiſ: & Chariſſ.

VENERABILIS CAPITVLI PP. & FF.

Ordinis S. Patris Benedicti

PROFESSIS.

M. LVCAS SIEPRSKI

SALVTEM & PROSPERITATEM P.

LVcubrationes *irrequietis laboribus absolutas*, *doctrinâ reconditiori perpolitas*, *in theatrum publicæ lucis emißuri*, *eas hominibus à fonte & origine maximis*, *à radice inclytis*, *adhæc tergemino radio virtutis, doctrinæ*, *nobilitatis illustribus*, *nuncupare solent*: *vt præstantia tantorum hominum, quos suis munusculis ornant à calumnia & à liuore sint tutiores.* Eadem ratio nunquam satis laudata in Palæstram certaminis Philosophici mihi prodituro, & in nobilißimum totius Sarmatiæ Lycæum, quæstionem de Actione & paßione, ex abdito rerum naturalium gremio depromptam deducturo, tenenda venit: videlicet prima ingenij mei documenta, veluti arbusculæ teneræ præsidio maximorum hominum, ne in medio cursu fractæ concidant, fulcire. Vestrum proinde Religiosiß: Patres Conuentum Tinecen: delegi, à fonte & origine maximum, erectione memorabilem. quidquid enim celebris in totum orbem Academia Parisiensis habet, totum id Vestris Doctoribus, Ioanni Mairloso & Claudio Clementi, qui eam regnante Carolo Primo à fundamentis insigni modo excitârunt, auxerunt, consumarunt, acceptum refert. Satius igitur est ab vno quoq; inge-

nio tacita admiratione ac veneratione, vti cætera quæque Diuina inclytam originem familiæ Vestræ coli, quàm cuiusque eloquentißimi Oratoris facundia celebrari. Quod si respicias Conuentus Tinecen: Autorem? non alius quàm Rex Sarmatiæ potentissimus CASIMIRVS; qui cum pacis belliq; disciplinam, & vniuersam Reipub: bene administrandæ rationem percaluisset, manum etiam religiosißimo Vestro Conuentui fundando adiecit; nec mora erexit, facultatibus auxit, contraq; omnes temporum iniurias obfirmauit. Hoc patrocinium origine adeò illustre, generis nobilitate antiquum, magnitudine celebre, dum huic tenero fætui meo quæro, fauebitis Patres, qui inter Diuinos fætus procreandos literas non sinitis exarescere; approbabitis, quia ingenia amplectimini, quæ ipsi excoluistis; laudabitis, quoniam eas artes promouetis, quas olim ex huius Regni Scholæ fontibus hausistis, & illius Professorum mensam ab initio tenuem, postmodum auctiorem reddidistis. Nunquam tam heroicum beneficium memoria abolebit, conetur licet temporum iniquitas extinguere. Ad extremum annuetis, quia virtutes Academicas fouetis, quas vita moribusq; expreßistis, aluistis, habitu quo Academia circa Actus solennes vtitur nobis socij esse voluistis. Accipite Religiosißimi Patres: quam disputationi publicæ propositam, consuetudine familiaris amicus Augustißimo nomini Conuentus Vestri consecrat, quæstionem: eam cum autoritate Conuentus Vestri Celeberrimi tutam protectamq; videbo, nullos maleuolorum sermones temere iactatos, tanti patrocinij autoritate defensus exhorrescam. Dat ex Collegio Minori XVIII. Cal Octob. Anno Domini 1638.

QVÆ-

QVÆSTIO.

VTrum Agens naturale, Actionem transmittat in Passum sibi simile; & in quauis Actione requirat contactum, tanquam conditionem necessariam; atqué à Patiente secundum eam qualitatem, quâ agit per se repatiatur nec ne?

CONCLVSIO I.

Agens naturale sicut non agit in seipsum, per se, ac propriè, ita neq; in sibi simile; quo ad qualitatem in Specie; secus si illa qualitas in gradu fuerit dissimilis.

COROLLARIA.

1. Per accidens bene agens naturale, siue minùs siue magis principale sit, potest agere in seipsum; intendendo vim agendi, per actionem reflexam.
2. Si detur simile quo ad gradum efficacitatemq́; agendi, non potest agens naturale eiusdem gradus, & efficacitatis, in illud vllo modo agere.
3. Omnis actio directa, & per se, nõ aliunde prouenit, nisi à proportione maioris inæqualitatis.
4. Qualitas in Passo non intenditur, nisi ab agente, eam in gradu perfectori obtinente.
5. Disparata non possunt esse mutuo actiua, & Passiua.

6. Sola dissimilitudo, in raritate, & densitate, nō sufficit, vt Actio ab agente, transmittatur in passum.

CONCLVSIO II.

Agens, ad Actionem transmittendam, in passum requirit contactum.

COROLLARIA.

1. Falsum est ad mutuam Actionem, & Passionem corporum, requiri contactum, tanquam rationem agendi.

2. Nil vetat præter contactum Physicum, verum, ac propriè sumptum, admitti in ipsismet actionibus Physicis, duos alios contactus, largo modo ac impropriè sumptos.

3. Astris præter lumen, inest quædam vis occulta, influens in hæc inferiora; qua mirabiles in sublunari hoc mundo producunt effectus, ad quem influxum etiam Cœlum Empyreum concurrit.

4. Arbores nonnullæ noxiæ, plantæ pleræq; hominum vsibus peculiari quadam vi proficuæ; lapides preciosi, metalla, ligaturæ medicorum Physicæ, periammata, amuleta, fascinationes, contagia, torpedo præsens manum stupefaciens, remora pisciculus nauem in cursu sistens, lupus raucedinem inducens, agunt effluuijs vaporum, ex substantia eorum exhalantium &

tium & affectionem inducunt, vel vires corporis reficiunt, causamq; affectionis alterant.

5. Vt vnum corpus in aliud agat, ad hoc requiritur vtriusquè proportio, & distantia determinata.

6. Actio, qua ignis æternus in corpora damnatorum realiter aget, Physicæ considerationis fines excedit.

CONCLVSIO III.

Agens, secundum eam qualitatem, qua agit per se repatitur.

COROLLARIA.

1. Absurdum est dictu, quod Actionis transmissio in Passum, sit eiusdem insinuatio, in rem patientem, per meatus, seu per poros repletos tenuioribus corpusculis, quibus cedentibus agenti subintranti locus daretur.

2. Subiectum, an quantumuis intensa qualitate præditũ; à contrario quantumuis remisso, pati possit, dum modo se intra actiuitatis sphæram cohibeat? Problema esto.

3. Si actiuitas patientis tam exigua sit, & resistentia agentis tanta, vt nequaquam ab illa superari possit, agens in totum repati non potest.

4. Actio; & Passio, solùm in agentibus sublunaribus locum habent.

5. Actio

5. Actio, & Passio, est quædam via, ad mutuam elementorum transmutationem, & ad formam misti inducendam.

6. Si à motu cœlum cessauerit (prout iuxta doctrinam Christianam post extremum Dei iudicium cessaturum credimus) actionem, & passionem, in sublunaribus nullam futuram.

Sub fælicibus auspicijs, Admodum Reuerendi & Magnifici Domini, ALBERTI BOROVII S. Theol: Doct: & Professoris Custodis S. Floriani Canonici Scalbimirien: & SS. Omniũ, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis vigilantissimi RECTORIS.